



**H**Einricus ille in Palatinatu Rhenēsi tenuis for-  
 tunæ parentibus natus & educatus est. Hic à  
 pueris militiæ operam dedit, & rei militaris magnā  
 notitiam sibi acquisiuit. in prælijs quoq; conferen-  
 dis cautus & foelicissimus extitit. Itaq; Fridericus  
 Palatinus huic cognomen mutauit, atq; Hirn (tan-  
 quā robusto cerebro) nominauit, cum prius Ieger  
 diceretur. deinde etiam inter equestris ordinis ho-  
 mines recepit, atq; Magistrum, ut uocant, ab Ephi-  
 pijs constituit. In eo genere uitæ Heinrichus diu ma-  
 gna laude perseuerauit, atq; suis uirtutibus alijs auli-  
 cis exemplo fuit. Tandē rebus bellicis adeò fidelis,  
 peritus et foelix extitit, ut Elector illi meritorū ergo

præfecturam Zenth dictam administrādam commiserit. neq; sine magna lau-  
 de in hoc administrationis munere uersatus est. Cum hoc modo magnam sibi  
 auctoritatem comparasset, tandem sub bellum Bauricum 1504. obiit, et Marga-  
 retham filiā reliquit, ex qua Paulus Fagius doctissimus Theologus postea na-  
 tus fuit. Argent. in uita Fagij.